

LECTORI BENEVOLO

S. D.

IOANNES GVILIELMVS

IANVS

S. THEOL. L. ET PROF. P.

Coll. diss. A
259, 19

Diss. A. 259/19

Q. D. B. V.

Primum et praecipuum Theologi munus est
sacrarum literarum expositio. Nam ex hoc
uno fonte haurienda sunt, quae pertinent ad
doctrinam, ad redargutionem, ad correctio-
nem, ad institutionem, et ad consolationem, 2 Tim.
III, 16. Rom. XV, 4. ut doctor atque minister Ec-
clesiae, qui simul est seruus Dei, (δῆλος τῷ κυρίῳ)
2 Tim. II, 24. et eodem sensu ἀνθρώπος τῷ θεῷ
appellatur, 1 Tim. VI, 11. et 2 Tim. III, 17. idoneus
sit ad omne bonum opus ministerii sui rite exequen-
dum. Illo autem fonte neglecto, uel obstructo,
agrum Domini incultum iacere, ac fructus inde
sperandos exarescere, necesse est. Fuit haec
superiorum temporum, quae sacrorum emenda-
tionem proxime antecesserunt, calamitas, cum sa-
cer Codex aut prorsus insuper haberetur, aut per
ἰδίαν ἐπίλυσιν ita corrumpere, ut pro diuinis
oraculis humani ingenii commenta uenditarentur.
Tum scilicet quicquid collibitum erat Pontifici
Rom. Scriptura sacra dicere cogebatur, non secus,
ac de oraculo Delphico memoriae proditum est,
quod, in Philomeli, tyranni Phocensis, potesta-
tem redactum, ad uim inferentis auctoritatem
(πρὸς τὴν ὑπεροχὴν τῷ βιάζομένῳ) se accommo-
dans, responderit: ὅτι ἔξεσι αὐτῷ πράττειν, ὃ βέ-
λεται. Leg. Diodorus Siculus lib. XVI. p. 424. Per-
tinet huc imprimis *lusus Scripturae S. Ponti-*
ficius,



ficius, quo illa, praeter omnem intentionem suam, dominatum, nescio quem, temporalem aequae ac spirituales, Pontifici Romano asserere iussa est. Nusquam clarius et apertius illum improbauit Sospiator noster, quam cum, paulo ante mortem, discipulis, de principatu inter se contendentibus, diceret: Reges gentium dominantur iis, et qui potestatem habent super eas, benefici uocantur; uos autem non sic. Luc. XXII, 26. et id ipsum tamen, quod tam serio et luculenter Christus interdixerat, eodem loco ac tempore, si Romanenses audiamus, ratum habuit, et confirmauit. Ita enim uerba eius, et Petri, Lucae XXII, 38. interpretatur Bonifacius VIII in Extrauag. Comm. lib. I. tit. 8. de Maiorit. et obedientia C. unam sanctam Ecclesiam: In hac (Ecclesia) eiusque potestate duos esse gladios, spirituales uidelicet et temporales, Evangelicis dictis instruimur. Nam dicentibus Apostolis: ecce duo gladii hic, in Ecclesia scilicet, non respondit Dominus, nimis est, sed, satis. et paulo post: uterque ergo in potestate Ecclesiae, spiritualis scilicet gladius, et materialis: sed is quidem pro Ecclesia, ille uero ab Ecclesia exercendus; ille sacerdotalis, is manu regum et militum, sed ad nutum et patientiam sacerdotis. Oportet autem gladium esse sub gladio, et temporalem auctoritatem spirituali subiici potestati. Neque animum gerendi et usurpandi utriusque gladii Bonifacio defuisse,

docet historia primi Iubilaei Romani, anno MCCC
ab ipso instituti. Nam prima illorum solemnum
die, in pontificalibus apparens populo, apostoli-
cam illis benedictionem impertitus est; postera au-
tem die, imperiali habitu, et infula Caesarea insignis,
gladium ante se nudatum iussit deferri, et sedens
alta uoce testatus est: *ecce duo gladii hic, ut est
apud Alb. Kranzium Saxoniae lib. VIII. c. 36.*
Videtur haec Bonifacius VIII mutuatus esse a Gre-
gorio IX, qui iam ante quinquaginta annos ad
Germanum, Archi-Episcopum Graecorum, scri-
pserat: *utrumque gladium pertinere ad Rom.
Pontificem, ex Euangelica lectione tenemus. Et-
enim loquente Iesu discipulis de acquisitione gladii
spiritualis, illi duos ibi positos ostenderunt, quos
Dominus dixit sufficere ad coercionem, uidelicet
spiritualis et corporalis offensae. et paucis interie-
ctis: uterque igitur gladius Ecclesiae traditur, sed
ab Ecclesia exercetur unus, alius pro Ecclesia ma-
nu seculari est eximendus, (stringendus) unus a
sacerdote, alius ad nutum sacerdotis administran-
dus a milite. Vide epistolam eius apud Matthae-
um Paris in Henrico III. p. 313. ed. Paris. 1644. Neque
inuisitatum, eo tempore, sed communem et per-
uulgatam fuisse hanc expositionem, ipsum initium
Speculi Saxonici, ineunte sec. XIII. compilati, do-
cet, quod ita habet: *Duorum gladiatorum potestatem,
spiritualem scilicet et secularem, ad defendendum
popu-**

populum suum Christus in sua approbavit Ecclesia,
ex quibus Apostolicum (Papam) spiritualement, et Rom.
Imperatorem secularem habere, nemo ambigit. In
sermone uernaculo Saxonico, quo Epkonem de
Repkau Speculum suum conscripisse, ostendit Schil-
terus, Exercit. XXIII. ad II. §. 64. initium illud his
verbis expressum est: *Hie beginnet Landrecht.
vom Babeste und Kayser. Zwei schwert lies Got in
Ertriche, zu beschirmen die Christenheit. dem Babe-
ste ist gesatzt das geistliche, dem Kayser das welt-
liche etc.* quae ex antiquo codice membranaceo,
quadringentorum fere annorum aetatem prae se
ferente, recitat Petrus Lambecius lib. II. de Biblioth.
Caes. Vindob. c. VIII. p. 831. Idem lusus postea cre-
bro, cum ab aliis passim, tum proxime ante emen-
datam a D. Luthero religionem, repetitus est ab An-
tonio Puccio in oratione ad Leonem X. P. R. Actis
Concilii Lateranensis inserta, Sess. VIII. ubi ita il-
lum alloquitur: *Ac ceu leo rex quadrupedum, tu
alter leo hominum, non alter rex tantum, sed rex
regum, et orbis terrarum monarcha euectus. Ac-
cingere ergo gladio tuo super femur tuum, poten-
tissime. Nam et tu duos gladios habes, spiritualement, et
temporalem.*

Huic gemina est expositio atque accommo-
datio uerborum Gen. I. 16: *Fecit Deus duo lu-
minaria magna etc.* ad quae Innocentius III. Cap.
Solitae de Maior. et Obed. ita commentatur:

A 3

ad

*ad firmamentum caeli, hoc est, universalis Ecclesiae, fecit Deus duo luminaria magna, id est, duas instituit dignitates, quae sunt pontificalis auctoritas, et regalis maiestas. Sed illa, quae praeesst diebus, id est, spiritualibus, maior est, quae uero carnalibus, minor, ut quanta est inter solem et lunam, tanta inter Pontifices et Reges differentia cognoscatur. Glossa addit: igitur, cum terra sit septies maior, quam luna, sol autem octies maior, quam terra, restat ergo, ut pontificalis dignitas quadragesies septies sit maior dignitate regia. Eum secutus Urbanus IV, in epist. ad Richardum, electum regem Romanorum, circa annum 1262. scripta: qui caelum, inquit, terramque regit, is exempla de superioribus ad inferiora deriuans, sicut in firmamento caeli duo luminaria magna constituit, ut mundum uicibus suis illustrent, sic et in terris maxima dona sua, sacerdotium uidelicet et imperium, ad plenum spiritualium mundanorumque regimen, ad firmamentum Ecclesiae militantis, instituit. apud Bzouium ad A. C. 1262. et Leibniz. Cod. Iuris Gent. Dipl. Prodr. p. 12. Vtramque explicationem allegoricam passim coniungi, uideas. Exempli loco sit, quod nunc primum se offert, diploma principum Electorum S. Rom. Imperii, quo donationes Pontifici R. ab Imp. Rudolpho factae confirmantur, datum Kal. Apr. A. MCCLXXVIII, in quo ista occurrunt: hic, (Rex Romanorum) est illud luminare minus, in
fir-*

*firmamento militantis Ecclesiae, per luminare ma-
ius, Christi uicarium, illustratum, hic est, qui mate-
rialem gladium ad ipsius nutum excutit, et conuer-
tit, ut eius praesidio pastorum pastor adiutus, oves si-
bi creditas spirituali gladio protegendo communiat,
temporali refraenet et corrigat.* apud Goldastum
Constit. Imp. T. I. p. 92. Nemini unquam hae expli-
cationes, aut, ut rectius dicam, detorsiones Scri-
pturae S., ueteri Ecclesiae Christianae profecto i-
gnotissimae, in mentem uenerunt, ante tempora
Hildebrandina, quibus dominatus Pontificius ad
summum gradum ascendit, omnemque modum
excessit. Claudius Fleurius certe, qui hodierno regi
Galliae, Ludouico XV, a sacris est, in disert. V.
tomo XVII. Histor. Eccles. praemissa §. 12. nullum
Goffrido, Abbate Vindocinensi, quem in confinio
Sec. XI. ac XII. uixisse, constat, antiquiorem se re-
perisse, profitetur, qui duobus illis Petri gladiis
pro sedis Romanae potestate pugnarit. Et ille
quidem in Opusculo IV. tom. XII. Bibl. Patrum
p. 209. sic satis adhuc modeste scribit: *uoluit bo-
nus Dominus et magister noster Christus spiritua-
lem gladium et materialem esse in defensionem Ec-
clesiae. Quod si alter ab altero retunditur, hoc fit
contra illius uoluntatem.* Sed mox alii allegoriam
hanc, in fauorem Pontificis, longius extenderunt,
et utrumque gladium huius potestati permiserunt.
Ita Seculo XII. Ioannes Sarisburiensis in Polycra-
tici

-nsmab

tici

tici lib. IV. c. 3. addidit: Cum Princeps gladium
acceperit a Petro et Ecclesia, hanc habere ius il-
lum repetendi. Eodem ualent uerba Pontificum
Rom. paulo ante recitata. Quod si rem aliunde
iam satis probatam, accommodatione huiusmodi
dictorum Biblicorum allegorica illustrare tantum
uoluissent, id fortasse aliquo modo excusari pos-
set: nam et Patribus quibusdam ueteris Ecclesiae
hoc usitatum fuisse, inficiari non licet. At illud
longe indignissimum, neque ullo modo ferendum
est, quod sententiam, Scripturae S., imo illis ipsis
locis, quibus abutuntur, plane contrariam, solo hoc
lusu demonstratum eant, et illam propterea iuris
diuini esse, contendant. Hoc enim uerba ipsorum
hactenus allata docent, et idem, quem modo lau-
dauit, Claudius Fleury, l. d. p. 281. duas illas tam
friuiolas allegorias praecipua argumenta fuisse,
ostendit, quibus Romanenses, post Gregorii VII.
tempora, potestatem Papae temporalem probaue-
rint. Quin ea est Bonifacii VIII impudentia, ut, post
lepidas illas, quas dixi, ratiocinationes, decretum
suum his uerbis concludat: *Subesse Rom. Pontifici
omnem humanam creaturam, declaramus, dicimus,
definimus et pronunciamus, omnino ESSE DE NECES-
SITATE SALVTIS.* Quid quod nec iuniores, qui post
sacra repurgata uixerunt, sedis Romanae assentato-
res puduit, opinionem illam, in decretis Pontifi-
cum, sacris litteris affictam, pro articulo fidei fun-
damen-

Coll. diss. A. 259, misc. 19

damentali, et pro iure diuino, uenditare. Difer-
te enim Iohannes Azorius, pater Ignatianus, In-
stitut. Moralium T. II. lib. X. c. 6. col. 1041. *Impe-
ratorem, inquit, in temporalibus esse Rom. Ponti-
fice minorem et inferiorem, eique iure diuino sub-
iectum, sententia est communi consensu Actorum
recepta, et ex iure ipso Canonico aperte colligitur.*
Habes, lector beneuole, specimen Scripturae sa-
crae a Pontifice Rom. *αὐτοκρατορικῶς* expositae:
habes exemplum noui articuli fidei pontificiae,
ante fec. XI. orbi Christiano ignoti, et post illud
demum pro *necessario ad salutem* obtrusi: habes
denique causam praecipuam, cur D. Lutherus, et
tot millia hominum, quibus salus sua curae cordi-
que fuit, a coetu Romano se disiunxerunt. Nam
cum Theses Lutheri, contra ueniarum nundinati-
ones, A. MDXVII editae, refutari ex sacris litteris non
possent, eo se recipiebat Syluester Prierias, Pa-
latii Apostolici Magister, ut *doctrinam Ecclesiae
Romanae, Romanique Pontificis, regulam fidei et
credendorum infallibilem esse, affirmaret, a quo et-
iam robur trahat, aut traxerit ipsa Scriptura S. in
Epitomae Responfionis T. I. Operum Lutheri Ien.
Lat. f. 66. b. quo demum permotus Lutherus, qui
antea dubitantis potius et discentis, quam contra-
dicentis, personam sustinuerat, aperte dissentium
suum professus est, et curiam Romanam, ut Anti-
Christi sedem, auersari coepit.* En uerba eius in

B

Re-

Responsione ad Epitomen illam Syluestri: Si Ro-
mae sic sentitur et docetur, scientibus Pontifice et
Cardinalibus, (quod non spero) libere pronuncio
his scriptis, Anti-Christum illum uerum sedere in
templo Dei, et regnare in Babylone illa purpurata
Romana, et curiam Romanam esse Synagogam
Satanae. Quid dicam? Papam quemuis, etiam
impium, Deum nobis facit, et robur diuinae Scri-
pturae, id est uerbi Dei uim, quod est ipse Deus,
ex illius hominis, etiam impii, auctoritate de-
pendere, statuit etc. et paulo post: si sic Roma cre-
dit, beata Graecia, beata Bohemia, beati omnes,
qui se ab ea separauerunt, et de medio istius Baby-
lonis exierunt, damnati uero omnes, qui ei commu-
nicauerint. et ego quoque, si Pontifex et Cardina-
les hoc os Satanae non compescuerint, et ad palino-
diam adegerint, his testibus confiteor, me dissentire
Rom. Ecclesiae, et negare eam, cum Papa et Cardina-
libus, tanquam abominationem stantem in loco san-
cto etc. T. I. l. en. Lat. f. 62. Quod uero Romae sic sen-
tiatur, et doceatur, scientibus Pontifice et Cardina-
libus, id, praeter spem Lutheri, satis demonstraui
Bulla Leonis X, duobus post annis aduersus eum
edita, quae num. xxvii hanc eius thesin: cer-
tum est, in manu Ecclesiae aut Papae prorsus non
esse, statuere articulos fidei, diserte, ut haereti-
cam, damnauit et proscripsit, grauius hoc nomine,
neque immerito, uapulans Vlrico Hutteno, in notis
ad

ad Bullam Leonis X lit. B. 4. Sunt, qui, curiam Romanam hodie politio-riorem factam esse, et de durioribus illis placitis multum remisisse, sibi persuadeant. Sed hoc tum demum credere licebit, quando lupus cum pilis animum mutabit. Contrarium certe testatur horrenda plane confessio fidei et doctrinae Romanae, recentissime, Serenissimi Principis Saxonici, Mauritii V Vilhelmi, ad castra Romanensia perducti, sed mox, agnito errore, ad sacra nostra, per Dei gratiam, reuersi, nomine edita, cuius articulus II. hic est: *wir bekennen und glauben, daß alles, was der Pabst neues stiftet, es sey in, oder auffer der H. Schrift, was er auch anbefohlen, wahrhafftig, als Gottes Wort, und als die Gebote Gottes zu halten sey.* et Art. IX ita habet: *wir bekennen, daß der Pabst Macht habe die Schrift zu aendern, auch nach belieben zu mindern, und zu mehren.* quibus sane nihil durius uel Syluestri, uel Hochstrati dogmata unquam habuerunt. Nosram ergo, si sapimus, felicitatem hinc agnoscimus, quibus Deum ipsum, in uerbo suo loquentem, audire licet, non hominis cuiusdam arrogantis, etiamsi *innumerabiles populos*, ut Dist. XL. C. *Si Papa* dicitur, *in gebenuam secum ducentis*, effata, pro oraculis diuinis coeca fide amplectendi, sequendiue necessitas imponitur. Scilicet hanc laudem Ecclesia nostra, ut propriam, sibi uendicat, quod solo Dei uerbo nitatur, et propterea in uero eius sensu indagando, explicando, illustrando,

do,

do, ac uindicando, praecipuam curam, operam ac diligentiam ponendam censeat. Speciatim in Academia nostra bene ac sapienter institutum, et more antiquo receptum est, ut qui munus Professoris Theologiae suscipiunt, illud exponendo libro quodam Biblico ordiantur. Atque hoc ipsum negotii mihi quoque nunc datum esse, intelligo, postquam Dei immortalis nutu et prouidentia factum est, ut Potentissimus Rex Pol. et Elector Saxoniae, Dominus et Nutritor noster longe Clementissimus, beneuolo potissimum Ven. Collegii Theologici iudicio, Illustris Proto-Synedrii Saxonici sententia comprobato, adductus, sacras literas publice docendi prouinciam, ad me, ab Academia, plus uice simplici, praeter meritum, honorifice commendatum nominatumque, nec opinantem, nedum onus tam graue et arduum ulla ratione ambientem, deferret. Itaque *futuro die Martis, hora VIII, in Auditorio Maiori, Actus Apostolorum, Deo uolente ac iuuante, explicare ingrediar, et cras hora IX, orationem de optima ratione S. literas interpretandi, more consueto, praemit- tam: ad quam audiendam, Magnificum Academiae Rectorem, Illustrissimos Comites, Patres Ciues- que Academicos, et quotquot studiis sacris fa- uent, qua par est obseruantia et humanitate, inuita- tos uolo. P. P. Dominica VIII post Trinit.*

A. C. MDCCLXXXIII.

VVITTENBERGAE TYPIS SAMVELIS CREVSIGII.